

dem ipse paucis ante annis emerat. Hæ ¹ Sergio serviebant; sed hoc in mancipio Marius non dixerat. Adducta res in iudicium est. Oratam Crassus, Gratidianum defendebat Antonius. Jus Crassus urgebat; quod vitii venditor non dixisset sciens, id oportere præstari: æquitatem Antonius; quoniam id vitium ignotum Sergio non fuisset, qui illas ædes vendidisset, nihil fuisse necesse dici; nec eum esse deceptum, qui id, quod emerat, quo jure esset, teneret. Quorsum hæc? ut illud intelligas, non placuisse majoribus nostris astutos.

XVII. Sed aliter leges, aliter philosophi tollunt astutias: leges, quatenus manu tenere possunt; philosophi, quatenus ratione et intelligentia. Ratio igitur postulat, ne quid insidiose, ne quid simulate, ne quid fallaciter. Suntne igitur insidiæ, tenere plagas, etiam si excitaturus non sis ² feras, nec agiturus? ³ ipsæ enim, nullo insequente, sæpe incidunt. Sic tu ædes proscribas, tabulam, tanquam plagam, ponas, domum propter vitia vendas; in eam aliquis incurrat imprudens. Hoc quanquam video propter depravationem consue-

¹ Manifestum est J. F. Heusingero, collat. de Or., I, 39, verbum hoc Sergio vel librarii, vel interpretis errore hic inculcatum fuisse: quod Schütz delere non dubitavit. Certe abesse malim. ² Abest feras.
³ I. e. feræ.

tudinis, neque more turpe haberi, neque aut lege sanciri, aut jure civili: tamen naturæ lege sancitum est. Societas enim est (quod etsi sæpe dictum est, dicendum tamen est sæpius), latissime quidem quæ pateat, hominum inter homines: interior eorum, qui ejusdem gentis sunt; propior eorum, qui ejusdem civitatis. Itaque majores aliud jus gentium, aliud jus civile esse voluerunt. Quod civile, non idem continuo gentium; quod autem gentium, idem civile esse debet. Sed nos veri juris, germanæque justitiæ solidam et expressam effigiem nullam tenemus; umbra et imaginibus utimur: eas ipsas utinam sequeremur! feruntur enim ex optimis naturæ et veritatis exemplis.

Nam quanti verba illa, UTI NE PROPTER TE, FIDEMVE TUAM CAPTUS, FRAUDATUSVE SIEM? Quam illa aurea, UT INTER BONOS BENE AGIER OPORTET, ET SINE FRAUDATIONE? Sed, qui sint boni, et quid sit bene agi, magna quæstio est. Q. quidem Scævola, pontifex maximus, summam vim dicebat esse in omnibus iis arbitriis, in quibus adderetur, EX FIDE BONA; fideique bonæ nomen existimabat manare latissime, idque versari in tutelis, societatibus, fiduciis, mandatis, rebus emtis, venditis, conductis, locatis, quibus vitæ societas ¹ contine-

¹ Continetur.

retur; in his magni esse iudicis, statuere (præsertim quum in plerisque essent iudicia contraria), quid quemque cuique præstare oporteret. Quocirca astutiæ tollendæ sunt, eaque malitia, quæ vult illa quidem videri se esse prudentiam; sed abest ab ea, distatque plurimum. Prudentia est enim locata in delectu bonorum, et malorum; malitia (si omnia, quæ turpia sunt, mala sunt) mala bonis ponit ante. Nec vero in prædiis solum jus civile, ductum a natura, malitiam fraudemque vindicat; sed etiam in mancipiorum venditione fraus venditoris omnis excluditur. Qui enim scire debuit, de sanitate, de fuga, de furtis, præstat edicto ædilium. Heredum alia causa est. Ex quo intelligitur, quoniam juris natura fons sit, hoc secundum naturam esse, neminem id agere, ut ex alterius prædetur inscientia. Nec ulla perniciæ vitæ major inveniri potest, quam in malitia simulatio intelligentiæ: ex quo ista innumerabilia nascuntur, ut utilia cum honestis pugnare videantur. Quotus enim quisque reperietur, qui impunitate, et ignoratione omnium proposita, abstinere possit injuria?

XVIII. Periclitemur, si placet, in iis quidem exemplis, in quibus peccari vulgus hominum fortasse non putat. Neque enim de sicariis, veneficis, testamentariis, furibus, peculatoribus hoc loco

disserendum est; qui non verbis sunt et disputatione philosophorum, sed vinculis et carcere fatigandi: sed hæc consideremus, quæ faciunt ita, qui habentur boni. L. Minucii Basili, locupletis hominis, falsum testamentum quidam e Græcia Romam attulerunt; quod quo facilius obtinerent, scripserant heredes secum M. Crassum et Q. Hortensium, homines ejusdem ætatis potentissimos: qui, quum illud falsum esse suspicarentur, sibi autem nullius essent conscii culpæ; alieni facinoris munusculum non repudiaverunt. Quid ergo? satin' hoc est, ut non deliquisse videantur? Mihi quidem non videtur: quanquam alterum amavi vivum, alterum non odi mortuum. Sed quum Basilus M. Satrium, sororis filium, nomen suum ferre voluisset, eumque fecisset heredem, hunc dico patronum agri Piceni et Sabini (o turpem notam temporum illorum!): num erat æquum, principes cives rem habere, ad Satrium nihil præter nomen pervenire? Etenim, si is, qui non defendit injuriam, neque propulsat a suis, quum potest, injuste facit, ut in primo libro disserui: qualis habendus est is, qui non modo non repellit, sed etiam adjuvat injuriam? Mihi quidem etiam veræ hereditates, non honestæ videntur, si sint

¹ Scripserunt.

malitiosis blanditiis officiorum, non veritate, sed simulatione quæsitæ. Atque in talibus rebus aliud utile interdum, aliud honestum videri solet. Falso; nam eadem utilitatis, quæ honestatis est regula. Qui hoc non perviderit, ab hoc nulla fraus aberit, nullum facinus. Sic enim cogitans: « Est istuc quidem honestum, verum hoc expedit; » res a natura copulatas audebit errore divellere; qui fons est fraudium, maleficiorum, scelerum omnium.

XIX. Itaque si vir bonus habeat hanc vim, ut, si digitis concepuerit, possit in locupletium testamenta nomen ejus irrepere, hac vi non utatur, ne si exploratum quidem habeat, id omnino neminem unquam suspicaturum. At dares hanc vim M. Crasso, ut digitorum percussione heres posset scriptus esse, qui re vera non esset heres: in foro, mihi crede, saltaret. Homo autem justus, isque quem sentimus virum bonum, nihil cuiquam, quod in se transferat, detrahet. Hoc qui admiratur, is se, quid sit vir bonus, nescire fateatur. At vero si quis voluerit animi sui complicatam notionem evolvere, jam se ipse doceat, eum virum bonum esse, qui prosit quibus possit; noceat nemini, nisi lacessitus injuria. Quid ergo? hic non noceat, qui quodam quasi veneno perficiat, ut veros heredes moveat, in eorum locum ipse succedat?

Non igitur faciat (dixerit quis), quod utile sit, quod expedit? Imo intelligat, nihil nec expedire, nec utile esse, quod sit injustum. Hoc qui non didicerit, bonus vir esse non poterit. Fimbriam consularem, audiebam de patre nostro puer, judicem M. Lutatio Pinthiæ fuisse, equiti Romano sane honesto, quum is sponsonem fecisset, « ni bonus vir esset. » Itaque ei dixisse Fimbriam, se illam rem nunquam judicaturum, ne aut spoliaret fama probatum hominem, si contra judicasset; aut statuisset videretur, virum bonum aliquem esse, quum ea res innumerabilibus officiis et laudibus contineretur. Huic igitur viro bono, quem Fimbria etiam, non modo Socrates noverat, nullo modo videri potest quidquam esse utile, quod non honestum sit. Itaque talis vir non modo facere, sed ne cogitare quidem quidquam audebit, quod non audeat prædicare. Hæc, nonne est turpe, dubitare philosophos, quæ ne rustici quidem dubitent? a quibus natum est id, quod jam contritum est vetustate proverbium. Quum enim fidem alicujus, bonitatemque laudant, dignum esse dicunt, quicum in tenebris mices. Hoc, quam habet vim, nisi illam, nihil expedire, quod non deceat, etiam si id possis, nullo refellente, obtinere? Videsne igitur, hoc proverbio, neque Gygi illi posse veniam dari, neque huic, quem paullo ante finge-

bam, digitorum percussione hereditates omnium posse ¹ convertere? Ut enim, quod turpe est, id quamvis occultetur, tamen honestum fieri nullo modo potest: sic, quod honestum non est, id utile ut sit, effici non potest, adversante et repugnante natura.

XX. At enim, quum permagna præmia sunt, est causa peccandi. C. Marius quum a spe consulatus longe abesset, et jam septimum annum post præturam jaceret, neque petiturus unquam consulatum videretur: Q. Metellum, cujus legatus erat, summum virum, et civem, quum ab eo, imperatore suo, Romam missus esset, apud populum Romanum criminatus est, bellum ² illum ducere; si se consulem fecissent, brevi tempore, aut vivum, aut mortuum Jugurtham se in potestatem populi Romani ³ redacturum. Itaque factus est ille quidem consul; sed a fide, justitiaque discessit, qui optimum et gravissimum civem, cujus legatus, et a quo missus esset, in invidiam falso crimine adduxerit. Ne noster quidem Graudianus officio boni viri functus est tum, quum prætor esset, collegiumque prætorum tribuni plebis adhibuissent, ut res nummaria de communi sententiâ

¹ Convertere. ² Abest illum a multis codd. *Vulgati olim libri*, bellum illud. ³ *Heusing. ex uno cod. daturum.*

constitueretur. Jactabatur enim temporibus illis nummus, sic, ut nemo posset scire, quid haberet. Conscripterunt communiter edictum cum pœna, atque iudicio, constitueruntque, ut omnes simul in Rostra post meridiem escederent. Et ceteri quidem alius alio: Marius a subsellis in Rostra recta, idque, quod communiter compositum fuerat, solus edixit. Et ea res (si quæris) ei magno honori fuit. Omnibus vicis statuæ; ad eas tus, et cerei. Quid multa? nemo unquam multitudini fuit carior. Hæc sunt, quæ conturbant homines in deliberatione nonnunquam, quum id, in quo violatur æquitas, non ita magnum; illud autem, quod ex eo paritur, permagnam videtur: ut Mario, præripere collegis et tribunis plebis popularem gratiam, non ita turpe; consulem ob eam rem fieri, quod sibi tunc proposuerat, valde utile videbatur. Sed omnium una regula est, quam tibi cupio esse notissimam: aut illud, quod utile videtur, turpe ne sit; aut, si turpe est, ne videatur esse utile. Quid igitur? possumusne aut illum Marium, virum bonum judicare, aut hunc? Explicæ atque excute intelligentiam tuam, ut videas, quæ ¹ sit in ea species, forma et notio viri boni. Cadit ergo in virum bonum, mentiri emolamenti sui

¹ Abest sit.

causa; criminari, præripere, fallere? nihil profecto minus. Est ergo ulla res tanti, aut commodum ullum tam expetendum, ut viri boni et splendorem, et nomen amittas? Quid est, quod afferre tantum utilitas ista, quæ dicitur, possit, quantum auferre, si boni viri nomen eripuerit? fidem, justitiamque detraxerit? Quid enim interest, utrum ex homine se quis conferat in belluam, an hominis figura immanitatem gerat belluæ?

XXI. Quid? qui omnia recta et honesta negligunt, dummodo potentiam consequantur, nonne idem faciunt, quod is, qui etiam socerum habere voluit eum, cujus ipse audacia potens esset? Utile ei videbatur plurimum posse alterius invidia. Id quam injustum in patriam, quam inutile, quam turpe esset, non videbat. Ipse autem socer in ore semper Græcos versus de *Phanissis* habebat, quos dicam ut potero, incondite fortasse, sed tamen, ut res possit intelligi:

Nam si violandum est jus, regnandi gratia
Violandum est: aliis rebus pietatem colas.

Capitalis Eteocles, ¹ vel potius Euripides, qui id

¹ *Melius deleas. ut glossema, vel potius Euripides, suadente Wytttenb. et Porsono probante; vel legas,*

unum, quod omnium sceleratissimum fuerat, exceperit. Quid igitur minuta colligimus, hereditates, mercaturas, venditiones fraudulentas? Ecce tibi, qui rex populi Romani dominusque omnium gentium esse concupierit, idque perfecerit. Hanc cupiditatem si honestam quis esse dicit, amens est. Probat enim legum et libertatis interitum, earumque oppressionem tetram et detestabilem, gloriosam putat. Qui autem fatetur, honestum non esse in ea civitate, quæ libera fuit, quæque esse debeat, regnare, sed ei, qui id facere possit, esse utile: qua hunc objurgatione, aut quo potius convicio a tanto errore coner avellere? Potest enim, dii immortales! cuiquam esse utile foedissimum et teterrimum parricidium patriæ, quamvis is, qui se eo obstrinxerit, ab oppressis civibus Parens nominetur? Honestate igitur dirigenda utilitas est, et quidem sic, ut hæc duo, verbo inter se discrepare, re tamen unum sonare videantur. Non habeo, ad vulgi opinionem, quæ major utilitas, quam regnandi, esse possit: nihil contra inutilius ei, qui id injuste consecutus sit, invenio, quam ad veritatem cœpi revocare rationem. Possunt enim cuiquam esse utiles angores, sollicitudines, diurni

quod conjiciunt *Heusingeri*, Capitalis Euripides, vel potius Eteocles.

et nocturni metus, vita insidiarum periculorumque plerissima?

Multi iniqui atque infideles regno, pauci sunt boni,

inquit Attius. At cui regno? quod a Tantalo et Pelope proditum, jure obtinebatur. Nam quanto plures ei regi putas, qui exercitu populi Romani populum ipsum Romanum oppressisset, civitatemque non modo liberam, sed etiam gentibus imperantem, servire sibi coegisset? Hunc tu quas conscientiae labes in animo censes habuisse? quae vulnera? Cujus autem vita ipsi potest utilis esse, quum ejus vitae ea conditio sit, ut, qui illam eriperit, in maxima et gratia futurus sit, et gloria? Quod si haec utilia non sunt, quae maxime videntur, quia plena sunt dedecoris ac turpitudinis: satis persuasum esse debet, nihil esse utile, quod non ¹ idem honestum sit.

XXII. Quanquam id quidem, quum saepe alias, tum Pyrrhi bello a C. Fabricio, consule iterum, et a senatu nostro judicatum est. Quum enim rex Pyrrhus populo Romano bellum ultro intulisset, quumque de imperio certamen esset cum rege generoso ac potente; per fuga ab eo venit in castra

¹ Abest idem.

Fabricii, eique est pollicitus, si praemium sibi proposuisset, se, ut clam venisset, sic clam in Pyrrhi castra rediturum, et eum veneno necaturum. Hunc Fabricius reducendum curavit ad Pyrrhum: idque factum ejus a senatu laudatum est. Atqui si speciem utilitatis opinionemque quaerimus, magnum illud bellum per fuga unus, et gravem adversarium imperii sustulisset: sed magnum dedecus et flagitium, quicum laudis certamen fuisset, eum non virtute, sed scelere superatum. Utrum igitur utilius vel Fabricio, qui talis in hac urbe, qualis Aristides Athenis fuit, vel senatui nostro, qui nunquam utilitatem a dignitate sejunxit, armis cum hoste certare, an venenis? Si gloriae causa imperium expetendum est, scelus absit, in quo non potest esse gloria; sin ipsae opes expetuntur quoquo modo, non poterunt utiles esse cum infamia. Non igitur utilis illa L. Philippi, Q. F., sententia: quas civitates L. Sulla, pecunia accepta, ex senatusconsulto liberavisset, ut haec rursus vectigales essent; neque his pecuniam, quam pro libertate dederant, redderemus. Est ei senatus assensus. Turpe imperio. Piratarum enim melior fides, ¹ quam senatus. At aucta vectigalia: utile igitur. Quousque audebunt

¹ Schütz, post Facciolat. et Heumannum, delevit quam senatus, quae verba in suo cod. non reperit Lan-
gius.

dicere quidquam utile, quod non honestum? Potest autem ulli imperio, quod gloria factum esse debet, et benivolentia sociorum, utile esse odium, et infamia? Ego etiam cum Catone meo sæpe dissensi. Nimis mihi præfractæ videbatur ærarium vectigaliaque defendere, omnia publicanis negare, multa sociis: quum in hos benefici esse deberemus; cum illis sic agere, ut cum colonis nostris solemus: eoque magis, quo illa ordinum conjunctio ad salutem reipublicæ pertinebat. Male etiam Curio, quum causam Transpadanorum æquam esse dicebat; semper autem addebat, Vincat utilitas. Potius diceret, non esse æquam, quia non esset utilis reipublicæ, ¹quam, quum utilem esse diceret, non esse æquam fateretur.

XXIII. Plenus est sextus liber de Officiis Hecatonis talium quæstionum: Sitne boni viri, in maxima caritate annonæ, familiam non alere. In utramque partem disputat; sed tamen ad extremum utilitate putat officium dirigi magis, quam humanitate. Querit, si in mari jactura facienda sit, equine pretiosi potius jacturam faciat, an servuli vilis. Hic alio res familiaris, alio ducit humanitas. Si tabulam de naufragio stultus arripuerit, extorquebitne

¹ *Lambin. emendat, quam, quum utilem non esse diceret, esse æquam fateretur. Sic fere placet multis aliis.*

eam sapiens, si potuerit? negat, quia sit injarium. Quid? dominus navis, eripietne suum? minime: non plus, quam si navigantem in alto ejicere de navi velit, quia sua sit. Quoad enim perventum sit eo, quo sumta navis est, non domini est navis, sed navigantium. Quid, si una tabula sit, duo naufragi, æque sapientes: ¹sibi uterque rapiat, an alter cedat alteri? cedat vero; sed ei, cujus magis intersit, vel reipublicæ causa, vivere. Quid, si hæc paria in utroque? nullam erit certamen, sed quasi sorte, aut ²micando victus, alteri cedat alter. Quid si pater fana expilet, cuniculos agat ad ærarium: indice ne id magistratibus filius? nefas id quidem est. Quin etiam defendat patrem, si arguatur. Non igitur patria præstat omnibus officiis? imo vero; sed ipsi patriæ conducit, pios cives habere in parentes. Quid? si tyrannidem occupare, si patriam proderet conabitur pater? silebitne filius? imo vero obsecrabit patrem, ne id faciat. Si nihil proficiet, accusabit; minabitur etiam; ad extremum si ad perniciem patriæ res spectabit, patriæ salutem anteponet saluti patris.

Querit etiam, si sapiens adulterinos nummos acceperit imprudens pro bonis, quum id rescierit,

¹ *Al. sibine uterque, vel sibine uter. Al. e codd. sibi neuter rapiat?* ² *Codd. aliquot male, dimicando.*

soluturusne sit eos, si cui debeat, pro bonis. Diogenes ait: Antipater negat; cui potius assentior. Qui vitium fugiens vendat sciens, debeatne dicere. Non necesse putat Diogenes: Antipater viri boni existimat. [Hæc sunt quasi controversa jura stoicorum]. In mancipio vendendo, dicendane vitia, non ea, quæ nisi dixeris, redhibeatur mancipium, jure civili; sed hæc, mendacem esse, aleatorem, ¹ furacem, ebriosum. Alteri dicenda videntur, alteri non videntur. Si quis aurum vendens, orichalcum se putet vendere, indicetne ei vir bonus, aurum illud esse, an emat denario, quod sit mille denarium? Perspicuum jam est, et quid mihi videatur, et quæ sit inter eos philosophos, quos nominavi, controversia.

XXIV. Pacta et promissa semperne servanda sint, quæ nec vi, nec dolo malo (ut prætores solent) facta sint? Si quis medicamentum cuiquam dederit ad aquam intercutem, pepigeritque, ne illo medicamento unquam postea uteretur; si eo medicamento sanus factus fuerit, et annis aliquot post inciderit in eundem morbum, nec ab eo, quicum pepigerat, impetret, ut ² iterum eo liceat uti: quid faciendum sit? Quum sit is inhumanus, qui non concedat uti, nec ei quidquam fiat injuriæ; vitæ et

¹ Pearce conj. voracem. ² Item.

saluti consulendum. Quid? si quis sapiens rogatus sit ab eo, qui eum heredem faciat, quum ei testamento sestertium millies relinquatur, ut ante, quam hereditatem adeat, luce palam in foro saltet, idque se facturum promiserit, quod aliter eum heredem scripturus ille non esset: faciat, quod promiserit, necne? Promisisse nollem, et id arbitrator fuisse gravitatis. Sed quoniam promisit, si saltare in foro turpe ducet, honestius mentietur, si ex hereditate nihil ceperit; ¹ nisi forte eam pecuniam in reipublicæ magnum aliquod tempus contulerit: ut vel saltare eum, quum patriæ consulturus sit, turpe non sit.

XXV. Ac ne illa quidem promissa servanda sunt, quæ non sunt iis ipsis utilia, quibus illa promiseris. Sol Phaethonti filio (ut redeamus ad fabulas) facturum se esse dixit, quidquid optasset: optavit, ut in currum patris tolleretur: sublatus est; atque insanus, ² qua constitit, ictu fulminis deslavit. Quanto melius fuerat, in hoc, promissum patris non esse servatum? Quid, quod Theseus exigit promissum a Neptuno? Cui quum tres optationes Neptunus dedisset, optavit interitum Hippolyti, filii sui, quum is patri suspectus esset de noverca: quo optato impetrato, Theseus in maximis fuit

¹ Quam si ceperit; nisi. ² Lallet. antequam.

luctibus. Quid? Agamemnon quum devovisset Dianæ, quod in suo regno pulcherrimum natum esset illo anno, immolavit Iphigeniam, qua nihil erat eo quidem anno natum pulchrius. Promissum potius non faciendum, quam tam tetrum facinus admitendum fuit. Ergo et promissa non facienda nunquam: neque semper deposita reddenda. Si gladium quis apud te sana mente deposuerit, repetat insaniens: reddere, peccatum sit; non reddere, officium. Quid? si is, qui apud te pecuniam deposuerit, bellum inferat patriæ; reddasne depositum? non, credo: facias enim contra rempublicam, quæ debet esse carissima. Sic multa, quæ honesta natura videntur esse, temporibus fiunt non honesta. Facere promissa, stare conventis, reddere deposita, commutata utilitate, fiunt non honesta. Ac de iis quidem, quæ videntur esse utilitates contra justitiã, simulatione prudentiæ, satis arbitrò dictum.

Sed quoniam a quatuor fontibus honestatis primo libro officia duximus, in eisdem versabimur, quum docebimus, ea, quæ videntur esse utilia, neque sunt, quam sint virtutis inimica. Ac de prudentia quidem, quam vult imitari malitia; itemque de justitia, quæ semper est utilis, disputatum est. Reliquæ sunt duæ partes honestatis, quarum altera in animi excellentis magnitudine et præstantia cer-

nitur; altera in conformatione et moderatione continentiæ et temperantiæ.

XXVI. Utile videbatur Ulyssi, ut quidem poetæ tragici prodiderunt (nam apud Homerum, optimum auctorem, talis de Ulysse nulla suspicio est); sed insimulant eum tragœdiæ, simulatione insanitiæ militiam subterfugere voluisse. Non honestum consilium. At utile (ut aliquis fortasse dixerit) regnare, et Ithacæ vivere otiose cum parentibus, cum uxore, cum filio. Ullum tu decus in quotidianis periculis et laboribus cum hac tranquillitate conferendum putas? Ego vero istam contemnendam et abjiciendam; quoniam, quæ honesta non sit, ne utilem quidem esse arbitrò. Quid enim auditurum putas fuisse Ulysses, si in illa simulatione perseverasset? qui quum maximas res gesserit in bello, tamen hæc audiat ab Ajace:

Cujus ipse princeps jurisjurandi fuit,
 Quod omnes scitis, solus neglexit fidem.
 Furere assimulavit; ne coiret, institit.
 Quod ni Palamedis perspexit prudentia
 Istius percepset malitiosam audaciam,
 Fide sacratum jus perpetuo falleret.

Illi vero non modo cum hostibus, verum etiam

1 *Al. Ulyxi, ut passim.*

cum fluctibus, id quod fecit, dimicare melius fuit, quam deserere consentientem Græciam ad bellum barbaris inferendum. Sed dimittamus et fabulas, et externa; ad rem factam, ¹ nostraque veniamus.

XXVII. M. Atilius Regulus, quum consul iterum in Africa ex insidiis captus esset, duce Xanthippo Lacedæmonio, imperatore autem patre Hannibalis, Hamilcare: juratus missus est ad senatum, ut, nisi redditi essent Pœnis captivi nobiles quidam, rediret ipse Carthaginem. Is quum Romam venisset, utilitatis speciem videbat, sed eam, ut res declarat, falsam judicavit; quæ erat talis: manere in patria, esse domi suæ cum uxore, cum liberis; quam calamitatem accepisset in bello, communem fortunæ bellicæ judicantem, tenere consularis dignitatis gradum. Quis hæc neget esse utilia, ² quem censes? magnitudo animi et fortitudo negat. Num locupletiores quaris auctores? Harum enim est virtutum proprium, nil extimescere, omnia humanâ despiciere; nihil, quod homini accidere possit, intolerandum putare. Itaque quid fecit? In senatum venit; mandata exposuit; sententiam ne diceret, recusavit: quamdiu jurejurando hostium teneretur, non esse se senatorem. Atque illud etiam (o stultum hominem, vixit

¹ Nostramque. ² *Al.* quid censes? *al.* quæ censes?

quispiam, et repugnantem utilitati suæ!) reddi captivos, negavit esse utile: illos enim adolescentes esse, et bonos duces; se jam confectum senectute. Cujus quum valuisset auctoritas, captivi retenti sunt: ipse Carthaginem rediit; neque eum caritas patriæ retinuit, nec suorum. Neque vero tum ignorabat, se ad crudelissimum hostem, et ad exquisita supplicia profecti; sed jusjurandum conservandum putabat. Itaque tum, quum vigilando necabatur, erat in meliore causa, quam si senex captivus, perjurus consularis remansisset. At stulte, qui non modo non censuerit captivos remittendos, verum etiam dissuaserit. Quomodo stulte? etiamne si reipublicæ conducebat? potest autem, quod inutile reipublicæ sit, id cuiquam civi utile esse?

XXVIII. Pervertunt homines ea, quæ sunt fundamenta naturæ, quum utilitatem ab honestate sejungunt. Omnes enim expetimus utilitatem, ad eamque rapimur, nec facere aliter ullo modo possumus. Nam quis est, qui utilia fugiat, aut quis potius, qui ea non studiosissime persequatur? Sed quia nusquam possumus, nisi in laude, decore, honestate utilia reperire, propterea illa prima, et summâ habemus: utilitatis nomen non tam splendidum, quam necessarium ducimus.

Quid est igitur, dixerit quis, in jurejurando?

num iratum timemus Jovem? At hoc quidem commune est omnium philosophorum, non eorum modo, qui deum nihil habere ipsum negotii dicunt, et nihil exhibere alteri; sed eorum etiam, qui deum semper agere aliquid, et moliri volunt, nunquam nec irasci deum, nec nocere. Quid autem iratus Jupiter plus nocere potuisset, quam nocuit sibi ipse Regulus? nulla igitur vis fuit religionis, quæ tantam utilitatem ¹ perverteret. An, ne turpiter faceret? Primum, minima de malis. Num igitur tantum mali turpitudine ista habebat, quantum ille cruciatus? Denique illud etiam apud Attium,

Fregisti fidem.

— Neque dedi, neque do infideli cuiquam.

quanquam ab impio rege dicitur, luculente tamen dicitur. Addunt etiam, quemadmodum nos dicamus, videri quædam utilia, quæ non sint; sic se dicere, videri quædam honesta, quæ non sint: ut hoc ipsum videtur honestum, conservandi jurisjurandi causa cruciatum revertisse; sed fit non honestum, quia, quod per vim hostium esset actum, ratum esse non debuit. Addunt etiam, quidquid valde utile sit, id fieri honestum, etiam si antea

¹ Perverteret.

non videretur. Hæc fere contra Regulum. Sed prima videamus.

XXIX. Non fuit Jupiter metuendus, ne iratus noceret: qui neque irasci solet, neque nocere. Hæc quidem ratio non magis contra ¹ Regulum, quam contra omne jusjurandum valet. Sed in jusjurando, non qui metus, sed quæ vis sit, debet intelligi. Est enim jusjurandum, affirmatio religiosa. Quod autem affirmate, quasi deo teste, promiseris, id tenendum est. Jam enim non ad iram deorum, quæ nulla est; sed ad justitiam, et ad fidem pertinet. Nam præclare Ennius:

O fides alma, apta pinnis, et jusjurandum Jovis!

² Qui jus igitur jurandum violat, is fidem violat, quam in Capitolio vicinam Jovis Optimi Maximi (ut in Catonis oratione est) majores nostri esse voluerunt. At enim ne iratus quidem Jupiter plus Regulo nocuisset, quam sibi nocuit ipse Regulus. Certe, si nihil malum esset, nisi dolere. Id autem non modo non summum malum, sed ne malum quidem esse, maxima auctoritate philosophi affirmant: quorum quidem testem non mediocrem,

¹ Al. forte rectius, Reguli. ² Sic optime Heusing.
• codd. Vulg. Qui igitur jusjurandum.

sed haud scio an gravissimum, Regulum, nolite, quæso, vituperare. Quem enim locupletioremarimus, quam principem populi Romani, qui retinendi officii causa cruciatum subierit voluntarium? Nam quod aiunt, minima de malis, id est, ut turpiter potius, quam calamitose: an est ullum majus malum turpitudine? quæ si in deformitate corporis habet aliquid offensionis, quanta illa depravatio et fœditas turpificati animi debet videri? Itaque, nervosius qui ista disserunt, solum audent malum dicere id, quod turpe sit; qui autem remissius, hi tamen non dubitant summum malum dicere. Nam illud quidem,

Neque dedi, neque do fidem: infideli cuiquam.

idcirco recte a poeta; quia, quum tractaretur Atreus, personæ servendum fuit. Sed si hoc sibi sumunt, nullam esse fidem, quæ infideli data sit: videant, ne quæratur latebra perjurio. Est autem jus etiam bellicum, fidesque jurisjurandi sæpe cum hoste servanda. Quod enim ita juratum est, ut mens conciperet fieri oportere, id servandum est: quod aliter; id si non feceris, nullum est

¹ Verbum hoc fidem Heusinger, post multos codic., sustulit. ² Facciolat. e vet. edd. hosti servanda.

perjurium. Ut, si prædonibus pactum pro capite pretium non attuleris, nulla fraus est, ne si juratus quidem id non feceris. Nam pirata non est ¹ ex perduellium numero definitus, sed communis hostis omnium. Cum hoc nec fides debet, nec jusjurandum esse commune. Non enim falsum jurare, ² perjurare est; sed, quod ex animi tui sententia juraris, sicut verbis concipitur more nostro, id non facere, perjurium est. Scite enim Euripides:

Juravi lingua, mentem injuratum gero.

Regulus vero non debuit conditiones, pactionesque bellicas et hostiles perturbare perjurio. Cum juste enim et legitimo hoste res gerebatur; adversus quem et totum jus fœtale, et multa sunt jura communia. Quod si ita esset, nunquam claros viros senatus vincetos hostibus deditisset.

XXX. At vero ³ T. Vetarius, et Sp. Postumius, quum iterum consules essent, quia, quum male pugnatum apud Caudium esset, legionibus nostris sub jugum missis, pacem cum Samnitibus fecerant, dediti sunt his: injussu enim populi senatusque fecerant. Eodemque tempore Tib. Numicius,

¹ Al. omittunt ex; al. definitus. ² Sic optimi mss. Al. et vet. edd. pejerare. ³ Habent mss. Ti. Vetarius, T. Vecturius, L. Vecturius Calactius.

Q. Mælius, qui tam tribuni plebis erant, quod eorum auctoritate pax erat facta, dediti sunt, ut pax Sannitiū repudiaretur. Atque hujus dedicationis ipse Postumius, qui dedebatur, suasor et auctor fuit. Quod idem multis annis post C. Mancinus: qui, ut Numantinis, quibuscum sine senatus auctoritate fœdus fecerat, dederetur, rogationem suasit eam, quam L. Furius et S. Atilius ex senatusconsulto ferebant; qua accepta, est hostibus deditus. Honestius hic, quam Q. Pompeius, quo, quum in eadem causa esset, deprecante, accepta lex non est. Hic ea, quæ videbatur utilitas, plus valuit, quam honestas: apud superiores, utilitatis species falsa ab honestatis auctoritate superata est.

At non debuit ratum esse, quod erat actum per vim. Quasi vero forti viro vis possit adliberi. Cur igitur ad senatum proficiscebatur, quum præsertim de captivis dissuasurus esset? Quod maximum in eo est, id reprehenditis. Non enim suo iudicio stetit, sed suscepit causam, ut esset iudicium senatus: cui nisi ipse auctor fuisset, captivi profecto Pœnis redditū essent. Ita incolumis in patria Regulus restiisset. Quod quia patriæ non utile putavit, idcirco sibi honestam, et sentire illa, et pati, credidit. Nam, quod aiunt, quod valde utile sit, id fieri honestum: imo vero esse, non fieri. Est enim nihil utile, quod idem non ho-

nestum: nec quia utile, honestum est; sed quia honestum, utile. Quare ex multis mirabilibus exemplis, haud facile quis dixerit, hoc exemplo aut laudabilius, aut præstantius.

XXXI. Sed ex tota hac laude Reguli, unum illud est admiratione dignum, quod captivos retinendos censuerit. Nam quod rediit, nobis¹ nunc mirabile videtur: illis quidem temporibus aliter facere non potuit. Itaque ista laus non est hominis, sed temporum. Nullum enim vinculum ad adstringendam fidem iurejurando majores arctius esse voluerunt. Id indicant leges in XII Tabulis, indicant sacratæ, indicant fœdera, quibus etiam cum hoste devincitur fides; indicant notiones animadversionesque censorum; qui nulla de re diligentius, quam de iurejurando, iudicabant. L. Manlio, A. F., quum dictator fuisset, M. Pomponius, tribunus plebis, diem dixit, quod is paucos sibi dies ad dictaturam gerendam addidisset: criminabatur etiam, quod Titum filium, qui postea est Torquatus appellatus, ab hominibus relegasset, et ruri habitare jussisset. Quod quum audivisset adolescens filius, negotium exhiberi patri; accurrisset Roman, et cum prima luce Pomponii domum

¹ *Al. codd.* non mirabile, quod Pearce levius prætulit.

venisse dicitur. Cui quum esset nuntiatum; quod illum iratum allatum ad se aliquid contra patrem arbitraretur: surrexit e lectulo, remotisque arbitris, ad se adolescentem jussit venire. At ille, ut ingressus est, confestim gladium destrinxit, juravitque se illum statim interfectorum, nisi jusjurandum sibi dedisset, se patrem missum esse facturam. Juravit hoc coactus terrore Pomponius. Rem ad populum detulit; docuit, cur sibi causa desistere necesse esset; Manlium missum fecit. Tantum temporibus illis jusjurandum valebat. Atque hic T. Manlius is est, qui ad Anienem Galli, quem ab eo provocatus occiderat, torque ¹ detracto, cognomen invenit; cujus tertio consulatu Latini ad Vesperim fusi et fugati: magnus vir in primis, et qui ² perindulgens in patrem, idem acerbe severus in filium.

XXXII. Sed, ut laudandus Regulus in conservando jurejurando, sic decem illi, quos post Cannensem pugnam juratos ad senatum misit Hannibal, se in castra redituros ea, quorum potiti erant Pœni, nisi de redimendis captivis impetravissent, si non redierunt, vituperandi. De quibus non omnes uno modo. Nam Polybius, bonus auctor

¹ Ed. Gryph. detracta, quod habuit etiam vetus Aldi codex. ² Multi male, nuper indulgens. Pearceio placuit nunc perindulgens.

inprimis, scribit, ex decem nobilissimis, qui tum erant missi, novem revertisse, a senatu re non impetrata; unum [ex decem], qui paullo post, quam egressus erat e castris, redisset, quasi aliquid esset oblitus, Romæ remansisse. Reditu enim in castra, liberatum se esse jurejurando interpretabatur: non recte. Fraus enim adstringit, non dissolvit perjurium. Fuit igitur stulta calliditas, perverse imitata prudentiam. Itaque decrevit senatus, ut ille veterator et callidus vinculus ad Hannibalem duceretur. Sed illud maximum: octo hominum millia tenebat Hannibal, non quos in acie cepisset, aut qui periculo mortis diffugissent, sed qui relictis in castris fuissent a Paulo et Varrone, consulibus. Eos senatus non censuit redimendos, quum id parva pecunia fieri posset: ut esset insitum militibus nostris aut vincere, aut emori. Qua quidem re audita, fractum animum Hannibalis ¹ scripsit idem, quod senatus, populusque Romanus rebus afflictis tam excelso animo fuisset. Sic honestatis comparatione, ea, quæ videntur utilia, vincuntur. Acilius autem, qui Græce scripsit historiam, plures ait fuisse, qui in castra revertissent, eadem fraude, ut jurejurando liberarentur, eosque a censoribus omnibus ignominie notatos.

¹ Ed. Gryph. scribit, quam Heusing. secutus est.

Sit jam hujus loci finis. Perspicuum est enim, quæ timido animo, humili, demisso, fractoque fiant (quale fuisset Reguli factum, si aut de captivis, quod ipsi opus esse videretur, non quod reipublicæ, censuisset, aut domi remanere voluisset), non esse utilia, ¹ quia sunt flagitiosa, fœda, turpia.

XXXIII. Restat quarta pars, quæ decore, moderatione, modestia, continentia, temperantia, continetur. Potest igitur quidquam esse utile, quod sit huic talium virtutum choro contrarium? Atqui ab Aristippo Cyrenaici atque Annicerii philosophi nominati, omne bonum in voluptate posuerunt; virtutemque censuerunt ob eam rem esse laudandam, quod efficiens esset voluptatis. Quibus obsoletis floret Epicurus, ejusdem fere adjutor auctorque sententiæ. Cum his, viris equisque, ut dicitur, si honestatem tueri ac retinere sententia est, decertandum est. Nam si non modo utilitas, sed vita omnis beata, corporis firma constitutione, ejusque constitutionis spe explorata, ut a Metrodoro scriptum est, continetur: certe hæc utilitas, et quidem summa, sic enim censent, cum honestate pugnabit. Nam ubi primum prudentiæ locus dabitur? an, ut conquirit uudique suavitates?

¹ Ern. Lalle. sint, minus recte, ut videtur.

quam miser virtutis famulatus, servientis voluptati! Quod autem munus prudentiæ? an legere intelligenter voluptates? fac nihil isto esse jucundius: quid cogitari potest turpius? Jam, qui dolorem summum malum dicat, apud eum quem habet locum fortitudo, quæ est dolorum laborumque contentio? Quamvis enim multis in locis dicat Epicurus (¹ sicut hic dicit) satis fortiter de dolore: tamen ² id non spectandum est, quid dicat, sed quid consentaneum sit ei dicere, qui bona voluptate terminaverit, mala dolore: ut, si illam audiam de continentia et temperantia. Dicit ille quidem multa multis locis; sed aqua hæret, ut aiunt. Nam qui potest temperantiam laudare is, qui ponat summum bonum in voluptate? est enim temperantia libidinum inimica; libidines autem consecratrices voluptatis. Atque in his tamen tribus generibus, quoquo modo possunt, non incallide tergiversantur. Prudentiam introducunt, scientiam suppeditantem voluptates, depellentem dolores. Fortitudinem quoque aliquo modo expediunt, quum tradunt, rationem negligentiæ mortis, petiendique doloris. Etiam temperantiam inducunt, non facillime illi quidem, sed tamen ³ quoquo

¹ Codd. Langii, sicut id dicit, unde reposuit J. F. Heusinger sicuti dicit. ² Male id Ern. deleverat.

³ Non., voc. Tergiversari, habet quomodo.

modo possunt. Dicunt enim, voluptatis magnitudinem doloris detractio finiri. Justitia vacillat, vel jacet potius, omnesque eæ virtutes, quæ in communitate cernuntur, et in societate generis humani. Neque enim bonitas, nec liberalitas, nec comitas esse potest, non plus quam amicitia, si hæc non per se expetantur, sed ad voluptatem, utilitatemve referantur.

Conferamus igitur in panca. Nam ut utilitatem nullam esse docuimus, quæ honestati esset contraria: sic omnem voluptatem dicimus honestati esse contrariam. Quo magis reprehendendos Calliphonem et Dinomachum judico, qui se diremturos controversiam putaverunt, si cum honestate voluptatem, tanquam cum homine pecudem, copulavissent. Non recipit istam conjunctionem honestas, aspernatur, repellit. Nec vero finis bonorum ¹ [et malorum], qui simplex esse debet, ex dissimilibus rebus misceri et temperari potest. Sed de hoc (magna enim res est) alio loco pluribus. Nunc ad propositum. Quemadmodum igitur, si quando ea, quæ ² videretur utilitas, honestati repugnat, dijudicanda res sit, satis est supra disputatum. Sin autem speciem utilitatis etiam voluptas

¹ Muret. *Var. Lect.*, XIII, 3, duo hæc verba spuria judicat. ² Heusing. post Heumann. et Pearceium, videtur.

habere dicitur, nulla potest esse ei cum honestate conjunctio. Nam, ut tribuamus aliquid voluptati, condimenti fortasse nonnihil, utilitatis certe nihil habebit.

Habes a patre munus, Marce fili, mea quidem sententia, magnum; sed perinde erit, ut acceperis. Quanquam tibi hi tres libri, inter Cratippi commentarios, tanquam hospites, erunt recipiendi. Sed, ut, si ipse venissem Athenas (quod quidem esset factum, nisi me e medio cursu clara voce patria revocasset), aliquando me quoque audires: sic, quoniam his voluminibus ad te profecta vox est mea; tribues his, temporis quantum poteris: poteris autem, quantum voles. Quam verò intellexero, te hoc scientiæ genere gaudere, tum et præsens tecum propediem, ut spero, et dum aberis, absens loquar. Vale igitur, mi Cicero, tibi que persuade, esse te quidem mihi carissimum; sed multo fore cariorem, si talibus monumentis præceptisque letabere.